

# BOLETIN OFICIAL

DEL

## OBISPADO DE OSMA.

---

**Sumario de este número.**—Carta Encíclica de Su Santidad sobre la *Democracia cristiana*.—Circular del Ilmo. y Rvmo. Prelado con motivo de la Santa Cuaresma.—Anuncio de Ordenes generales para la 5.<sup>a</sup> semana de Cuaresma.—Crónica diocesana: Triduo en el Convento del Carmen, por la beatificación de los Mártires Fr. Dionisio y H. Redento.

---

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS  
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS  
PACEM ET COMMUNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

VENERABILES FRATRES

**Salutem et Apostolicam Benedictionem.**

Graves de communi re oeconomica disceptationes, quae non una in gente iam dudum animorum labefactant concordiam, crebrescunt in dies calentque adeo, ut consilia ipsa hominum prudentiorum suspensa merito habeant et sollicita. Eas opinionum fallaciae, in genere philosophandi agendique late diffusae, invexere primum. Tum nova, quae tulit aetas, artibus adiumenta,

commeatum celeritas et adscita minuendae operae lucrisque augendis omne genus organa, contentionem acuerunt. Denique, locupletes inter ac proletarios, malis turbulentorum hominum studiis, concitato dissidio, eo res iam est deducta, ut civitates saepius agitatae motibus, magnis etiam videantur calamitatibus funestandae.

Nos quidem, pontificatu vix inito, probe animadvertimus quid civilis societas ex eo capite periclitaretur; officiique esse duximus catholicos monere palam, quantum in socialismi placitis lateret error, quantaque immineret inde perniciēs, non externis vitae bonis tantummodo, sed morum etiam probitati religiosaeque rei. Huc spectarunt litterae encyclicae *Quod Apostolici muneris*, quas dedimus die xxviii decembris anno mdccclxxviii. — Verum, periculis iis ingravescentibus maiore quotidie cum damno privatim publice, iterum Nos eoque enixius ad providendum contendimus. Datisque similiter litteris *Rerum novarum*, die xv maii anno mdcccxcī, de iuribus et officiis fuse diximus, quibus geminas civium classes, eorum qui rem et eorum qui operam conferunt, congruere inter se oporteret; simulque remedia ex evangelicis praescriptis monstravimus, quae ad tuendam iustitiae et religionis causam, et ad dimicationem omnem inter civitatis ordines dirimendam visa sunt in primis utilia.

Nec vero, Nostra Deo dante, irrita cessit fiducia. Siquidem vel ipsi qui a catholicis dissident, veritatis vi commoti, hoctribuendum Ecclesiae professi sunt, quod ad omnes civitatis gradus se porrigat providentem, atque ad illos praecipue qui misera in fortuna versantur. Satisque uberes ex documentis Nostris catholici percipere fructus. Nam inde non incitamenta solum viresque hauserunt ad coepta optima persequenda; sed lucem etiam mutuati sunt optatam, cuius beneficio huiusmodi disciplinae studia tutius ii quidem ac felicius insisterent. Hinc factum ut opinio inter eos dissensiones, partim submotae sint, partim mollitae interquieverint. In actione vero, id consecutum est ut ad curandas proletariorum rationes, quibus praesertim locis magis erant afflicte, non pauca sint constanti proposito vel nove inducta vel aucta utiliter; cuiusmodi sunt: ea ignaris oblata auxilia, quae vocant secretariatus pupuli; mensae ad ruricularum mutuaciones; consociationes, aliae ad suppetias mutuo ferendas, aliae ad necessitates ob in-

fortunia levandas; opificum sodalitia; alia id genus et societatum et operum adiumenta.

Sic igitur, Ecclesiae auspiciis, quaedam inter catholicos tum coniunctio actionis tum institutorum providentia inita est in praesidium plebis, tam saepe non minus insidiis et periculis quam inopia et laboribus circumventae. Quae popularis beneficentiae ratio nulla quidem propria appellatione initio distingui consuevit: *socialismi christiani* nomen a nonnullis invectum et derivata ab eo haud immerito obsoleverunt. Eam deinde pluribus iure nominare placuit *actionem christianam popularem*. Est etiam ubi, qui tali rei dant operam, *sociales christiani* vocantur; alibi vero ipsa vocatur *democratia christiana*, ac *democratici christiani* qui eidem dediti; contra eam quam socialistae contendunt *democratiam socialem*.—Iamvero e binis rei significandae modis postremo loco allatis, si non adeo primus, *sociales christiani*, alter certe, *democratia christiana*, apud bonos plures offensionem habet, quippe cui ambiguum quiddam et periculosum adhaerescere existiment. Ab hac enim appellatione metuunt, plus una de causa: videlicet, ne quo oblecto studio popularis civitas foveatur, vel ceteris politicis formis praeoptetur; ne ad plebis commoda, ceteris tamquam semotis rei publicae ordinibus, christianae religionis virtus coangustari videatur: ne denique sub fucato nomine quodam lateat propositum legitimi cuiusvis imperii, civilis, sacri, detrectandi.—Quae de re quum vulgo iam nimis et nonnunquam acriter disceptetur, monet conscientia officii ut controversiae modum imponamus, definiendo quidnam sit a catholicis in hac re sentiendum: praeterea quaedam praescribere consilium est, quo amplior fiat ipsorum actio, multoque salubrior civitati eveniat.

Quid *democratia socialis* velit, quid velle *christianam* oporteat, incertum plane esse nequit. Altera enim, plus minusve intemperanter eam libeat profiteri, usque eo pravitatis a multis compellitur, nihil ut quidquam supra humana reputet; corporis bona atque externa consecetur, in eisque captandis fruendis hominis beatitatem constituat. Hinc imperium penes plebem in civitate velint esse, ut, sublatis ordinum gradibus aequatisque civibus, ad bonorum etiam inter eos aequalitatem sit gressus: hinc ius domini delendum: et quidquid fortunarum est singulis, ipsaque instrumenta vitae, commu-

nia habenda. At vero democratia christiana, eo nimirum quod christiana dicitur, suo veluti fundamento, positae a divina fide principiis niti debet, infirmorum sic prospiciens utilitatibus, ut animos ad sempiterna factos convenienter perficiat. Proinde nihil sit illi iustitia sanctius; ius potiundi possidendi iubeat esse integrum; dispares tuerentur ordines sane proprios bene constitutae civitatis; eam demum humano convictui velit formam atque indolem esse, qualem Deus auctor indidit. Liqueat igitur *Democratiae socialis et christianae* communionem esse nullam: ea nempe inter se differunt tantum, quantum socialismi secta et professio christianae legis.

Nefas autem sit christianae democratiae appellationem ad politica detorqueri. Quamquam enim *democratia*, ex ipsa notatione nominis usuque philosophorum, regimen indicat populare; attamen in re praesenti sic usurpanda est, ut, omni politica notione detracta, aliud nihil significatum praeferat, nisi hanc ipsam beneficam in populum actionem christianam. Nam naturae et evangelii praecepta quia suo iure humanos casus excedunt, ea necesse est ex nullo civilis regiminis modo pendere; sed convenire cum quovis posse, modo ne honestati et iustitiae repugnet. Sunt ipsa igitur manentque a partium studiis variisque eventibus plane aliena: ut in qualibet demum rei publicae constitutione, possint cives ac debeant iisdem stare praeceptis, quibus iubentur Deum super omnia, proximos sicut se diligere. Haec perpetua Ecclesiae disciplina fuit; hac usi romani Pontifices cum civitatibus egere semper, quocumque illae administrationis genere tenerentur. Quae quum sint ita, catholicorum mens atque actio, quae bono proletariorum promovendo studet, eo profecto spectare nequaquam potest, ut aliud prae alio regimen civitatis admetat atque invehat,

Non dissimili modo a democratia christiana removendum est alterum illud offensionis caput: quod nimirum in commodis inferiorum ordinum curas sic collocet, ut superiores praeterire videatur; quorum tamen non minor est usus ad conservationem perfectionemque civitatis. Praecabet id christiana, quam nuper diximus, caritatis lex. Haec ad omnes omnino cuiusvis gradus homines patet complectendos, utpote unius eiusdemque familiae, eodem benignissimo editos Patre et redemptos Servatore, eandemque in hereditatem vocatos.

aeternam. Scilicet, quae est doctrina et admonitio Apostoli: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* (1). Quare propter nativam plebis cum ordinibus ceteris conjunctionem, eamque arctiorem ex christiana fraternitate, in eosdem certe influit quantacumque plebi adiutandae diligentia impenditur; eo vel magis quia ad exitum rei secundum plane decet ac necesse est ipsos in partem operae advocari, quod infra aperiemus.

Longe pariter absit, ut appellatione democratiae christianae propositum subdatur omnis abiiciendae obedientiae eosque aversandi qui legitime praesunt. Revereri eos qui pro suo quisque gradu in civitate praesunt, eisdemque iuste iubentibus obtemperare, lex aequae naturalis et christiana praecipit. Quod quidem ut homine eodemque christiano sit dignum, ex animo et officio praestari oportet, scilicet *propter conscientiam*, quemadmodum ipse monuit Apostolus, quum illud edixit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (2). Abhorret autem a professione christianae vitae, ut quis nolit iis subesse et parere, qui cum potestate in Ecclesia antecedunt: Episcopis in primis, quos, integra Pontificis romani in universos auctoritate, *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (3). Iam qui secus sentiat aut faciat, is enimvero gravissimum eiusdem Apostoli praeceptum oblitus convicintur: *Obedite praepositis vestris, et subiaceate eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (4). Quae dicta permagni interest ut fideles universi alte sibi defigant in animis atque in omni vitae consuetudine perficere studeant: eademque sacrorum ministri diligentissime reputantes, non hortatione solum, sed maxime exemplo, ceteris persuadere ne intermittant.

His igitur revocatis capitibus rerum, quas antehac per occasionem data opera illustravimus, operamus fore ut quaevis de christianae democratiae nomine dissensio, omnisque de re, eo nomine significata, suspicio periculi

(1) Ephes IV, 4-6.

(2) Rom. XIII, 1, 5.

(3) Act. XX, 28.

(4) Hebr. XIII, 17.

iam deponatur. Et iure quidem speramus. Etenim, siis  
missis quorundam sententiis de huiusmodi democratiae  
christianae vi ac virtute, quae immoderatione aliqua  
vel errore non careant; certe nemo unus studium illud  
reprehenderit, quod, secundum naturalem divinamque  
legem, eo unice pertineat, ut qui vitam manu et arte  
sustentant, tolerabiliorem in satum adducantur, habe-  
antque sensim quo sibi ipsi prospiciant, domi atque  
palam officia virtutum et religionis libere expleant; sen-  
tiant se non animantia sed homines, non ethnicos sed  
christianos esse; atque adeo ad *unum* illud *necessarium*,  
ad ultimum bonum, cui nati sumus, et facilius et stu-  
diosius nitantur. Iamvero hic finis, hoc opus eorum qui  
plebem christiano animo velint et opportune relevatam  
et a peste incolumem socialismi.

De officiis virtutum et religionis modo Nos mentio-  
nem consulto iniecit. Quorundam enim opinio est,  
quae in vulgus manat, *quaestionem socialem* quam aiunt,  
*oeconomicam* esse tantummodo: quum contra verissimum  
sit, eam moralem in primis et religiosam esse, ob eam-  
demque rem ex lege morum potissime et religionis iu-  
dicio dirimendam. Esto namque ut operam locantibus  
geminetur merces; esto ut contrahatur operi tempus;  
etiam annonae sit vilitas: atqui, si mercenarius eas au-  
diat doctrinas, ut assolet, eisque utatur exemplis, quae  
ad exuendam Numinis reverentiam alliciant depravan-  
dosque mores, eius etiam labores ac rem necesse est  
dilabi. Periclitatione atque usu perspectum est, opifices  
plerosque anguste misereque vivere, qui, quamvis ope-  
ram habeant brevioris spatio et uberiores mercede,  
corruptis tamen moribus nullaque religionis disciplina  
vivunt. Deme animis sensus, quos inserit et colit chris-  
tiana sapientia; deme providentiam, modestiam, parsi-  
moniam, patientiam ceterosque rectos naturae habitus:  
prosperitatem, etsi multum contendas, frustra persecua-  
re. Id plane est causae, cur catholicos homines inire  
coetus ad meliora plebi paranda, aliaque similiter ins-  
tituta invehere Nos nunquam hortati sumus, quin pa-  
riter moneremus, ut haec religione auspice fierent eaque  
adiutrice et comite.

Videtur autem propense huic catholicorum in prole-  
tarios voluntati eo maior tribuenda laus, quod in eodem  
campo explicatur, in quo constanter feliciterque, benigno  
afflatu Ecclesiae, actiosa caritatis certavit industria,

si accommodate ad tempora. Cuius quidem mutuae caritatis lege, legem iustitia quasi perficiente, non sua solum scribemur cuique tribuere ac iure suo agentes non prohibere; verum etiam gratificari invicem, *non verbo, neque in lingua, sed opere et veritate* (1); memores quae Christus et peramanter ad suos habuit. *Mandatum novum do vobis: sicut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (2). Tale gratificandi bestudium, quamquam esse primum oportet de animorum bono non caduco sollicitum, praetermittere tamen haudquaquam debet quae usui sunt et adiumento vitae. In qua in re illud est memoratu dignum, Christum, scintantibus Baptistae discipulis: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* demandati sibi inter homines muneris arguisse causam ex hoc caritatis capite, Isaiae excitata sententia: *Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* (3). Idemque de supremo iudicio ac de praemiis poenisque decernendis eloquens, professus est se singulari quadam respecturum ratione, qualem homines caritatem alter alteri adhibuissent. In quo Christi sermone quid quidem admiratione non vacat, quemadmodum ille, in partibus misericordiae solantis animos tacite omissis, esse externae tantum commemoravit officia, atque ea tamquam sibi metipsi impensa: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi libere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me* (4).

Ad haec documenta caritatis utraque ex parte, et animae et corporis bono, probandae, addidit Christus de se exempla, ut nemo ignorat, quam maxime insignia. In re praesenti sane suavissima est ad recolendum vox a paterno corde emissa: *Misereor super turbam* (5), et par voluntas ope vel mirifica subveniendi: cuius miserationis praeconium extat: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (6).—Traditam ab eo caritatis disciplinam Apostoli primum sancte naviterque

(1) I Ioann. III, 18.

(2) Ioann. XIII, 34-35.

(3) Matth. XI, 5.

(4) Ib. XXV, 35-36.

(5) Marc. VIII, 2.

(6) Act. X, 38.

coluerunt; post illos qui christianam fidem amplexi sunt, auctores fuerunt inveniendae variae institutorum copiae ad miserias hominum, quaecumque urgeant, allevandas. Quae instituta, continuis incrementis pro- vecta, christiani nominis partaeque inde humanitatis propria ac praeclara sunt ornamenta: ut ea integri indi- cii homines satis admirari non queant, maxime quod tam sit proclive ut in sua quisque feratur commoda, aliena posthabeat.

Neque de eo numero bene factorum excipienda est erogatio stipis, elleemosynae causa; ad quam illud per- tinet Christi: *Quod superest, date eleemosynam* (1). Hanc scilicet socialistae carpunt atque e medio sublatam vo- lunt, utpote ingenitae homini nobilitati iniuriosam. At enim si ad evangelii praescripta (2), et christiano ritu fiat, illa quidem neque erogantium superbiam alit, ne- que affert accipientibus verecundiam. Tantum vero abest ut homini sit indecora, ut potius foveat societa- tem coniunctionis humanae, officiorum inter homines fovendo necessitudinem. Nemo quippe hominum est adeo locuples, qui nullius indigeat; nemo est egenus adeo, ut non alteri possit qua re prodesse: est id innatum ut opem inter se homines et fidenter poscantet ferant benevole.—Sic nempe iustitia et caritas inter se devinctae, aequo Christi mitique iure, humanae socie- tatis compagem mire continent, ac membra singula ad proprium et commune bonum providenter adducunt.

Quod autem laboranti plebi non temporariis tantum subsidiis, sed constanti quadam institutorum ratione subeniatur, caritati pariter laudi vertendum est; certius enim firmissusque egentibus stabit. Eo amplius est in laude ponendum, velle eorum animos, qui exercent artes vel operas locant, sic ad parsimonia providentiamque formari, ut ipsi sibi, decursu aetatis, saltem ex parte consulant. Tale propositum, non modo locupletum in proletarios officium elevat, sed ipsos honestat proletarios; quos quidem dum excitat ad clementiorem sibi fortu- nam parandam, idem a periculis arcet et ab intempe- rantia coercet cupiditatum, idemque ad virtutis cultum invitat. Tanta igitur quum sit utilitatis ac tam con- gruentis temporibus, dignum certe est in quo caritas bonorum alacris et prudens contendat.

(1) Luc. XI, 41.

(2) Matth. VI, 2-4.



Maneat igitur, studium istud catholicorum solandae erigendaeque plebis plane congruere cum Ecclesiae ingenio et perpetuis eiusdem exemplis optime respondere. Ea vero quae ad id conducant, utrum *actionis christianae popularis* nomine appellentur, an *democratiae christianae*, parvi admodum refert; si quidem impertita a Nobis documenta, quo par est obsequio, integra custodiantur. At refert magnopere ut, in tanti momenti re, una eademque sit catholicorum hominum mens, una eademque voluntas atque actio. Nec refert minus ut actio ipsa, multiplicatis hominum rerumque praesidiis, augeatur, amplificetur.—Eorum praesertim advocanda est benigna opera, quibus et locus et census et ingenii animique cultura plus quidam auctoritatis in civitate conciliant. Ista si desit opera, vix quidquam confici potest quod vere valeat ad quaesitas popularis vitae utilitates. Sane ad id eo certius breviusque patebit iter, quo impensius multiplex praestantium civium efficientia conspirent. Ipsi autem considerent velimus non esse sibi in integro, infimorum curare sortem an negligere; sed officio prorsus teneri. Nec enim suis quisque commodis tantum in civitate vivit, verum etiam communibus: ut, quod alii in summam communis boni conferre pro parte nequeant, largius conferant alii qui possint. Cuius quidem officii quantum sit pondus ipsa edocet acceptorum bonorum praestantia, quam consequatur necesse est restrictior ratio, summo reddenda largitori Deo. Id etiam monet malorum lues, quae, remedio non tempestive adhibito, in omnium ordinum perneciem est aliquando eruptura: ut nimirum qui calamitosae plebis negligat causam, ipse sibi et civitati faciat improvide.—Quod si actio ista christiano more socialis late obtineat vigeatque sincera, nequaquam profecto fiet, ut cetera instituta, quae ex maiorum pietate ac providentia iam pridem extant et florent, vel exarescant vel novis institutis quasi absorpta deficient. Haec enim atque illa, utpote quae eodem consilio religionis et caritatis impulsae, neque re ipsa quidquam inter se pugnantia, commode quidem componi possunt et cohaerere tam apte, ut necessitatibus plebis periculisque quotidie gravioribus eo oportunius liceat, collatis benemerendi studiis, consulere.—Res nempe clamat, vehementer clamat, audentibus animis opus esse viribusque coniunctis; quum sane nimis ampla aerumnarum seges obversetur oculis,

et perturbationum exitialium impendeant, maxime ab invalescente socialistarum vi, formidolosa discrimina. Callide illi in sinum invadunt civitatis: in occultorum conventum tenebris ac palam in luce, qua voce qua scriptis, multitudinem seditione concitant; disciplina religionis abiecta, officia negligunt, nil nisi iura extollunt; ad turbas egentium quotidie frequentiores sollicitant, quae ob rerum angustias facilius deceptioni patent et ad errorem rapiuntur.—Aeque de civitate ac de religione agitur res; utramque in suo tueri honore sanctum esse bonis omnibus debet.

Quae voluntatum consensio ut optato consistat, ab omnibus praeterea abstinendum est contentionis causis quae offendant animos et disiungant. Proinde in ephemeridum scriptis et concionibus popularibus sileant quaedam subtiliores neque ullius fere utilitatis quaestiones, quae quum ad expediendum non faciles sunt, tum etiam ad intelligendum vim aptam ingenii et non vulgare studium exposcunt. Sane humanum est, haerere in multis dubios et diversos diversa sentire: eos tamen qui verum ex animo persequantur addecet, in disputatione adhuc ancipiti, aequanimitatem servare ad modestiam mutuamque observantiam; ne scilicet, dissidentibus opinionibus, voluntates item dissideant. Quidquid vero, min causis quae dubitationem non respuant, opinari quis malit, animum sic semper gerat, ut Sedi Apostolicae edicto audiens esse velit religiosissime.

Atque ista catholicorum actio, qualiscumque est, ampliore quidem cum efficacitate procedet, si consociationes eorum omnes, salvo suo cuiusque iure, una eademque primario vi dirigente et movente processerint. Quas ipsis partes in Italia volumus praestet institutum illud, a Congressibus coetibusque catholicis, saepenumero a Nobis laudatum: cui et Decessor Noster et Nosmetipsi curam hanc demandavimus communis catholicorum actionis, auspicio et ductu sacrorum Antistitum, stemperandae. Item porro fiat apud nationes ceteras, si quis usquam eiusmodi est praecipuus coetus, cui id negotii legitimo iure sit datum,

Iamvero in toto hoc rerum genere, quod cum Ecclesiae et plebis christianae rationibus omnino copulatur, apparet quid non elaborare debeant qui sacro munere fungantur, et quam varia doctrinae, prudentiae, caritatis industria id possint. Prodire in populum in eoque

salutariter versari opportunum esse, prout res sunt ac tempora, non semel Nobis, homines e clero allocutis, visum est affirmare. Saepius autem per litteras ad Episcopos aliosve sacri ordinis viros, etiam proximis annis (1), datas, hanc ipsam amantem populi providentiam collaudavimus, propriamque esse diximus utrisque ordinis clericorum. Qui tamen in eius officiis explendis caute admodum prudenterque faciant, ad similitudinem hominum sanctorum. Franciscus ille pauper et humilis, ille calamitosorum pater Vincentius a Paulo, alii in omni Ecclesiae memoria complures, assiduas curas in populum sic temperare consueverunt, ut non plus aequo distenti neque immemores sui, contentione pari suum ipsi animum ad perfectionem virtutis omnis excolerent.

— Unum hic libet paulo expressius subiicere, in quo non modo sacrorum administri, sed etiam quotquot sunt popularis causae studiosi, optime de ipsa, nec difficili opera, mereantur. Nempe, si pariter studeant per opportunitatem haec praecipue in plebis anima fraterno alloquio inculcare. Quae sunt: a seditione, a seditiosis usquequaque caveant; aliena cuiusvis iura habeant inviolata; iustam dominis observantiam atque operan volentes exhibeant; domesticae vitae ne fastidiant consuetudinem multis modis frugiferam; religionem in primis colant, ab eaque in asperitatibus vitae certum petant solatium. Quibus perficiendis propositis sane quanto sit adiumento vel Sanctae Familiae Nazarethanae praestantissimum revocare specimen et commendare praesidium, vel eorum proponere exempla quos ad virtutis fastigium tenuitas ipsa sortis eduxit, vel etiam spem alere praemii in potiore vita mansuri.

Postremo id rursus graviusque commonemus, ut quidquid consilii in eadem causa vel singuli vel consociati homines efficiendum suscipiant, meminerint Episcoporum auctoritati esse penitus obsequendum. Decipi se ne sinant vehementiore quodam caritatis studio; quod quidem, si quam iacturam debite obtemperationis suadeat, sincerum non est, neque solidae utilitatis efficiens, neque gratum Deo. Eorum Deus delectatur animo qui, sententia sua postposita, Ecclesiae praesides sic plane ut ipsum audiunt iubentes; iis volens adest vel arduas molientibus res, coeptaque ad exitus optatos solet be-

(1) Ad Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum die, XXV nov. an. MDCCCLXXXVIII.

nignus perducere.—Ad haec accedant consentanea virtutis exempla, maxime quae christianum hominem probant osorem ignaviae et voluptatum, de rerum copia in alienas utilitates amice impertientem, ad aerumnas constantem, invictum. Ista quippe exempla, vim habent magnam ad salutare spiritus in populo excitandos; vimque habent maiorum, quum praetantiorum civium vitam exornant.

Haec vos, Venerabiles Fratres, opportune ad hominum locorumque necessitates pro prudentia et navitate vestra curetis hortamur; de iisdemque rebus, consilia inter vos, de more congressi, communicetis. In eo autem vestrae evigilent curae atque auctoritas valeat, moderando, cohibendo, obsistendo, ut ne, ulla cuiusvis specie boni fovendi, sacrae disciplinae laxetur vigor, neu perturbetur ordinis ratio quem Christus Ecclesiae suae praefinivit.—Recta igitur et concordi et progrediente catholicorum omnium opera, eo pateat illustrius, tranquillitatem ordinis veramque prosperitatem in populis praecipue florere, moderatrice et faultrice Ecclesia; cuius est sanctissimum munus, sui quamque officii ex christianis praeceptis admonere, locupletes ac tenues fraterna caritate coniungere, erigere et roborare animos in cursu humanarum rerum adverso.

Praescripta et optata Nostra confirmet ea beati Pauli ad Romanos, plena apostolicae caritatis, hortatio: *Obsecro vos.... Reformamini in novitate sensus vestri.... Qui tribuit, in simplicitate; qui praest, in sollicitudine; qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhaerentes bono: Caritate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem praevenientes: Sollicitudine non pigri: Spe gaudentes; in tribulatione patientes: orationi instantes: Necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; Idipsum invicem sentientes: Nulli malum pro malo reddentes: Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (1).*

Quorum auspex bonorum accedat Apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, Clero ac populo vestro amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die xviii ianuarii mcccci, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

LEO PP. XIII.

(1) XII, 1-17.

CIRCULAR NÚM. 90.

Al inaugurarse la Santa Cuaresma en el Miercoles de Ceniza, imponiendo ésta sobre nuestras cabezas, nos dice á todos, á Prelados, Sacerdotes y fieles; á Principes y Vasallos, á ricos y pobres, la Iglesia nuestra Madre estas palabras. *Acuérdate, hombre, que eres polvo y en polvo serás convertido.* Si los cristianos las meditaran bien, su conducta sería muy distinta; pero hay muchos que no las meditan; que no se acuerdan de sus postrimerias, que no piensan en la muerte, como si por no pensar en ella la muerte no hubiera de venir, y de aquí que sorprenda á tantos en mal estado, por no haberse dispuesto en tiempo oportuno á bien morir, por no haberse preparado con una vida santa para una santa muerte, por haber ofendido á Dios y no haber hecho penitencia.

De llorar es la indiferencia, el abandono y la tibieza en que se van deslizand los dias de muchos cristianos, cuyas almas son aquella tierra árida, seca y desolada de que habla el Profeta Jeremias, debiéndose su desolación y que sean como ramas desgajadas que no dan fruto, como zarzas que en lugar de flores de virtudes producen las punzantes espinas de los pecados, á que no quieren recibir el rocío del Cielo, á que no escuchan la divina palabra, á que no oran y meditan.

Procuremos, pues, amados cooperadores, despertarles del profundo sueño que duermen; y muy principalmente en el Santo tiempo de Cuaresma, que tan aceptable es, redoblemos todos nuestro celo para atraerles al buen camino, extendiendo también nuestra solicitud á las almas buenas, en que Jesús se complace, para que, alimentándose con el pan de la divina palabra y recibiendo con frecuencia los Santos Sacramentos, crezcan en la virtud y tengan cada dia vida mas abundante.

La Santa Cuaresma nos recuerda aquellos cuarenta dias que Jesucristo pasó en el desierto, preparándose con la oración y el ayuno para las insignes victorias que alcanzara contra el tentador enemigo y también para dar principio á las predicaciones y milagros de su vida pública. La oración y el ayuno han de ser las armas que nosotros empleemos para salir victoriosos en las luchas y combates del alma contra sus formidables enemigos, que nunca podrán derrotarla si corresponde bien á los auxilios y gracias del Cielo. El ayuno cuadra-

gesimal se observa en el cristianismo desde los tiempos apostólicos, y si la Iglesia dispensa á los que están legítimamente impedidos, vanamente pretenden eximirse de obligación tan rigurosa y estricta los que para ello no tienen mas que frívolos pretextos, que de nada les servirán en el día del juicio ante el tribunal de Dios.

Gravados, amadísimos cooperadores, estas verdades y las demás de nuestra Religión Sacrosanta en los corazones de aquellos fieles que os están encomendados; recomendados de nuevo que no se priven de las gracias de la Santa Bula; inclinados á la piedad y devoción; haced con ellos, os lo aconsejamos por ser de gran provecho espiritual, la visita de Altares, en cada uno de los cuales, para ganar las Indulgencias, deben rezarse tres Padre Nuestros con Ave María y Gloria Patri al final de cada uno; rezad en el Templo el Santo Rosario, que sería muy conveniente y laudable que se rezara en la Iglesia al menos en la mayor parte del año; practicad con vuestros feligreses otros ejercicios piadosos, como el Via Crucis; predicadles con celo y unción el Santo Evangelio, las verdades eternas, é instruidles, principalmente á los niños, en la doctrina cristiana; que son estas obligaciones sacratísimas, que si en todo tiempo deben cumplirse, conforme á lo que prescriben los sagrados cánones, muy particularmente en la Santa Cuaresma; dadles facilidades para que se confiesen, acordándoos de lo que Jesucristo hacía por convertir á los pecadores y salvar las almas; que os vean asiduamente en el Confesonario; que se persuadan, en cuanto á vosotros corresponde, de que vuestro más ferviente anhelo es ganarlos para Jesucristo; llamad en determinados días, prestándoos mutua ayuda, confesores extraordinarios, avisando previamente á los fieles para que estén preparados; haced cuanto esté de vuestra parte para que todos reciban bien dispuestos los Santos Sacramentos, y confiad en que Dios os asistirá con su divina gracia, bendecirá vuestros evangelicos trabajos, os dará el ciento por uno que tiene prometido á los que hiciesen buenas obras por su gloria y concederá el galardón correspondiente á vuestros méritos.

Por nuestra parte, deseando con ardor el bien espiritual de nuestros amados diocesanos y queriendo facilitar á los confesores el desempeño de su sagrado Ministerio, facultamos á todos los legítimamente aprobados en

nuestra Diócesis, para que, durante el termino del cumplimiento Pascual, absuelvan á sus penitentes de cualesquiera casos á Nos reservados, encareciéndoles la gravedad de los pecados y circunstancias de su reservación. Subdelegamos, así mismo, en dichos Confesores la facultad Apostólica, que benignamente Nos está otorgada entre otras por la Santa Sede, para habilitar á los reos de incesto, *ad petendum debitum*, removida antes la ocasión é imponiéndoles grave penitencia saludable y la obligación de confesarse, á lo menos mensualmente, por el tiempo que estimase prudente el mismo Confesor, siendo esta la forma que en tal caso deberá emplearse á continuación de la ordinaria del Sacramento; *Et facultate Apostolica mihi subdelegata, habilito te et restituo tibi jus amissum ad petendum debitum conjugale. In nomine Patris, etc.* Atendidas las circunstancias especiales de la Diócesis, señalamos como plazo para cumplir con el santo precepto de la Comunión Pascual, el tiempo comprendido desde el tercer domingo de Cuaresma hasta el de Pentecostés inclusive, si bien lo anticipamos, dentro de la Cuaresma, en favor de aquellos pueblos donde haya Misiones antes de dicha tercera Dominica y también de cuantos diocesanos nuestros recibieran los Santos Sacramentos en dichos pueblos donde se den aquellas ó con motivos de las mismas.

Burgo de Osma 10 de Febrero de 1901.

† EL OBISPO.

---

### ÓRDENES GENERALES,

---

Su Señoría Ilma. y Rvma. el Obispo, mi Señor, ha determinado, con el auxilio de Dios, celebrar órdenes generales mayores y menores en los días 22 y 23 del próximo Marzo, *Feria sexta et Sabbato ante Dominicam Passionis*. En su virtud los que aspiren á recibirlas, presentarán en esta Secretaría de mi cargo, antes del 28 de Febrero, las solicitudes y demás documentos necesarios, conforme á lo prescripto en el Edicto publicado con el mismo objeto en 25 de Octubre último.

Los exámenes de Teología Dogmática y moral tendrán lugar los días 5, 6, y 8 de Marzo, y los de Liturgia, Rezo Divino y Canto llano el 9 del mismo mes, debiendo presentarse todos los

aprobados al Ilmo. y Rvmo. Prelado en la mañana del 12; y el 13 por la tarde entrarán á practicar los Santos Ejercicios en el lugar que se les designe.

Burgo de Osma 10 de Febrero de 1901.

DR. MANUEL MARÍA VIDAL, *Canónigo Secretario.*

---

## CRÓNICA DIOCESANA.

---

Con motivo de la beatificación de los Santos Mártires Carmelitas Fr. Dionisio de la Natividad y H. Redento de la Cruz, hecha por nuestro Santísimo Padre León XIII en 10 de Junio último, la Comunidad de Padres Carmelitas de esta Villa, en unión de los Hermanos cofrades de N. Sra. del Carmen, celebraron un solemne *Triduo* los días 1.º, 2.º y 3.º de este mes, en la Iglesia de su Convento. Todos los días hubo Misa solemne á las diez de la mañana con S. D. M. expuesto, y á las 7 de los días 2.º y 3.º hubo Misa de comunión general con cánticos alusivos al acto, celebrándola el último día nuestro Ilmo. y Rmo. Prelado, que distribuyó el pan de los Angeles á multitud de fieles de uno y otro sexo. Por las tardes hubo también los tres días ejercicios piadosos, con exposición de S. D. M., rosario, gozos y reserva, predicando en los del primer día el Rvdo. P. Tiburcio, Prior del Convento, en los del 2.º el religioso Fr. Eladio de Jesús y María, y en los del 3.º el Sr. D. Antonio G. Ballesteros, Beneficiado de la Metropolitana de Burgos, terminandose la función con Solemne *Te Deum*, en que ofició de medio pontifical nuestro Ilmo. y Rvmo. Prelado, así como en la reserva del Santísimo Sacramento, despues de la cual dirigió su paternal palabra al pueblo el bondadoso señor Obispo para expresar su gratitud hácia la numerosa concurrencia, que con tanto recogimiento y edificación asistió todos los días á estos solemnes cultos, y para felicitar á la Comunidad de Carmelitas por tan fausto acontecimiento, como tambien la felicita desde esta Crónica el BOLETIN eclesiástico, congratulándose en que sea todo para mayor gloria de Dios Nuestro Señor en los bienaventurados Mártires Carmelitanos.